



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

Sup Deſſ

DE CONCILIIIS
THESES,

Moderatore

REVERENDO CLARISSIMOQVE
VIRO DN. IOHANNÉ GRORGIO VOLCKMARO,
S. S. Theol. Doctore & Professore in Aca-
demia Witebergensi Publico

CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XVIII. in Collegio Studiosorum
Theologiæ privato, die XXVIII Februarij
habendam, propositæ

à

IOHANNÉ RODENBVR-
GIO ANTUVERPIANO

Respondente,

MATTHÆO SATLERO
Heubacense VVirtembergico.

WITEBERGAE, Liteis VVolfgangi Meisneri.

ANNO MD. LXX. IVC.



ET GENTIS ET MENTIS IN-
dole verè Nobilissimis

D.D. THEODORICO & JOHAN-
NI BEHR FF. Equitib: Livonis

DOMINIS SUIS, AMICIS QVE FAVORIBUS

Observantia ex animo testanda
ergò

Hoc qualecunq̃e Thematum *αδίστομα*

JOHANNES RODENBURGIUS
Antuuerpianus.

D. D. D.



DE CONCILIIIS.

THESIS. I.



um de capite Ecclesie tam genuino
& principali, quod CHRISTUS est, quam spurio
sive ministeriali, quod Papam esse, Papales con-
tendunt, disceptatum sit hactenus: superest ut jam
de reliquo totius Ecclesie corpore videamus.

2. Quandoquidem vero adversariis idem Ec-
clesie corpus bifariam consiaerare libuit, quatenus
id vel toto terrarum orbe dispersum, vel in Synodis congregatum cer-
nitur: age in hoc etiam adversarios $\kappa\alpha\iota$ $\pi\acute{o}\delta\alpha\varsigma$ insecuti de Concilijs &
eorum autoritate breviter considerabimus.

$\alpha\phi\omicron\rho\rho\mu\eta$.

3. Postquam enim exoriens Evangelicæ lucis claritas, radiis suis
lippientes Romanensium oculos, non leviter ferire cæperat, illi quod e
Scriptura Evangelicis Doctoribus opponerent, vix ac ne vix quidem
reperientes, Conciliorum suorum decreta tot videlicet seculorum de-
cursu roborata, ambitiosè jactarunt, iisdemq; contra verbi cælestis ful-
gorem, tam sibi quàm nobis umbram satis tenebricosam facere moliti
sunt: ut si Solem justitiæ cælo Ecclesia penitus detrahere non possent,
Synodaliū saltem canonum tanquam densi corporis objectu lumen e-
jusdem nobis interciperent.

4. Hinc tomos illos conciliorum: hinc illam annalium Ecclesiasti-
corum partim editorum, partim edendorum monstruosam farraginem. Ba
conij. hinc deniq; integras Synodorum Bibliothecas protrudunt Romanenses, si
fortè, quos pondere cælestium oraculorum premere nequeunt, eos mo-
le saltem aliqua obruere possent.

5. Hinc deniq; tanta solennitate, tanta Episcoporum & Cardina-
lium frequentia, tantis etiam sumptuum impensis concilia omnibus
temporibus indixit & coëgit Pontifex, quibus id unice agit, ut vel
hac ratione, seu vi seu numero tandem mala causa triumphet.

A 2

$\alpha\phi\alpha:\rho\epsilon\sigma\iota$

ἡ φαιπέρις τῶ μὴ ζήτυμῶν.

6. Interim illud meminerimus, non de eo nobis tantopere cum ad-
versa parte controve siam intercedere, utrum ex usu Ecclesie sit legi-
tima Synodorum congregatio, nec ne? fatemur enim utrinque concilia
præ cæteris ad hæc duo conducere posse, ut nimirum vel hæreses &
schismata, quantum fieri potest, ex agro Domini eruantur; vel mo-
res corrupti, & vitia alijsve quidam abusus invalescentes, reformatio-
ne inita aboleantur; utrumque enim horum si fiat, non solum approba-
mus, verum etiam ut fiat, votis solenniter nuncupatis optamus.

Bell. lib. 1. c.
10. de Conc.

7. Et quidem de generalibus conciliis eatenus inter nos & adver-
sarios convenit, ejusmodi Synodorum convocationes utilissimas quidem
esse, & suo quasi modo ex parte necessarias; non tamen absolute &
simpliciter, ac si Ecclesie incolumitas ullorumve hominum salus indi-
dem dependeat; siquidem primis trecentis annis, generalibus Synodis
Ecclesia caruit, nec tamen ob id nulla fuit; quemadmodum igitur tum,
ita etiamnum potuisset sua Ecclesie constare incolumitas etiam absque
conciliorum adminiculo. Nec enim vel illis ipsis temporibus hæreses
schismata alijsque vitiosi abusus desuere, interim tamen Ecclesia, quam-
vis Synodorum præsidio destituta, omni prorsus divinae protectionis
aura foveri & conservari minime desuit.

Bell. c. 10.
l. 1. de Conc.

8. Sit itaque istud utrinque in confesso non tantam esse Oecumenicorum
conciliorum necessitatem; tamen si enim, ut fatetur Iesuita, ad extin-
guendas septem hæreses, septem concilia generalia celebrata sint, inte-
rim tamen, si eidem credimus, plus quam centum hæreses à sola, ut a-
junt Apostolica se de extinctis sunt.

Idibid.

9. Similiter unum solummodo schisma per universale concilium sub-
latum ab ipsismet Pontificiis memoratur; e contra vero schismata su-
pra quinq; & viginti absque ullo generali concilio sopita fuisse ijdem glori-
antur.

10. Reliquum est, ut Synodos præsertim Oecumenicas, cū πρὸς τὸ ἀ-
πλόως εἶναι τῆς βασιλείας, ἀλλὰ μόνον πρὸς τὸ εὐὴ τῆς βασιλείας & χεῖρ
requiri consentientibus suffragijs arbitremur. h. e. quemadmodum inter-
pretatur Iesuita d. l. quo svarijs & maturijs pax Ecclesijs red-
datur.

11. Hoc non obstante aliqua adhuc nihilominus Concilia, si non ge-
neralia, attamen particularia ad bonam Ecclesie gubernationem quan-
doque

doque omnino necessaria esse concedi utcumq; potest. Etsi enim Deus per absolutam potentiam suam, Ecclesiam etiam absq; ullis concilijs tam particularibus quam Oecumenicis in novissimum usque diem conservare possit, ordinaria tamen media ad pacandam Ecclesiam qualitercumque utilia, negligenda minime censemus, præsertim ubi talia à Domino benignè conceduntur.

12. In tali namq; casu huiusmodi opportunitates divinitus oblatas, non tantum negligere, sed & præfractè & per contemptum repudiare velle, haud scio an non perinde fuerit, atque Deum tentare.

τὸ ζῆτῶμεν.

13. Verū enim vero non tam de particularibus quam universalibus Synodis, nobiscum contendere videntur Papicolæ, penes quem videlicet munus & potestas convocandi illas, potissimum resideat: Deinde certa ne sint & infallibilia earundem iudicia.

ἐκ δεξιῶν τῷ Ἰδομένω.

14. Ceterum licet primo statim intuitu in proclivi esse videtur quid Synodi sint, si nomen solummodo attendatur; si tamen res ipsa in se, non autem ex nomenclaturæ cortice aestimetur, facile apparebit, non quodvis concilium ita fortè fortuna appellatum, de jure protinus ita appellandum fuisse. Si enim dicamus (uti nos quidem omnino dicendum arbitramur) Synodum conventum esse hominum idoneorum, ad disceptandum de rebus sacris legitimè indictum & institutum, hac nimirum ratione, haud obscure elucescet, quid distent æra lupinis, quid item Pontificiorum concilia sint ex una parte, quid contra meritò esse deberent ex altera.

15. Nam nec idoneos esse omnes rasos ac delibutos vertices nec idoneitatem in larva illa Episcopali consistere testatur Iesuitarum, aliorumq; huiusmodi Satellitum comitatus, nec legitimè statim fieri putabimus, quæcumq; juxta canones sive veros sive fictos hujus vel illius sanctuli sunt.

16. Ceterum nec universalia confessim, vel Oecumenica dici merentur illa Concilia, quæ ex una atque altera gente, Italica nempe vel Hispanica, potissimum cœnant, nisi fortè quispiam orbem terrarum sive ὅλην τῆν τριβὴν vel quatuor provinciis eorundemve nationibus [ex Pontificia fortasse Cosmographia] rectè definiri opinetur.

A 3

17. Quod

17. Quod si illa Procerum Romanensium comitia ne quidem Synodi sunt, ut ex definitione patet, sane ut maxime sint [id quod tamen revera non sunt] nec dum tamen œcumenicæ fuerint: si nec Synodi, nec œcumenicæ; multò minus hoc quod divisim non sunt, conjunctim esse poterunt, h. e. œcumenicæ Synodi, quod tamen illi perpetua principii petitione graviter impudentes subinde præsupponunt.

18. Porro quod legitimè Synodos indici debere innuimus, in eo omnino propemodum sita est prioris quæstioni controversia; Potestatem enim quidem convocandi tales, quales cogit, Synodos Papam habere profiteremur, quippe quam toties usurpare eum conspicimus, quoties ipsi libitum fuerit; unde vero illud habeat, quo jure sibi vindicet auctoritatem indicendi catholica & verè generalia, [uti jactant ejus clientuli] concilia, meritò in quæstionem vocabimus; tamen si certum sit, ut diximus, nec veras Synodos nec verè œcumenicas esse illas quæ pro talibus venditantur. καλασκευή.

19. Ius itaq; convocandi Synodos summo magistratui potius, quam Pontifici competere in præsentia ex iis ipsis Jesuitæ verbis, de Imperatore concludemus, quibus ille Pontifici suo id juris arrogare nisus est.

lib. i. de concil. c. 12. §. 2. 20. Sic enim ille: Catholici, inquit, munus convocandi concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt, sic tamen ut possit etiam alius, Pontifice consentiente, concilium indicere quin etiam satis sit, si indictione facta ipse postea ratam habeat, & confirmet: At si nec ipse indicat concilium, nec aliquis alius de ejus jure mandato vel consensu, nec ipse saltem approbet indictionem, illud non concilium sed conciliabulum fore.

21. Quibus verbis satis superq; innuit Jesuita duplici modo contingere posse, ut à Romano Pontifice Synodus convocata dicatur. PRIMUM si alius quispiam indicat concilium, modo tamen Papa consentiente id fiat, in ejusmodi casu concilium à Papa congregatum censei:

20. SECUNDO si maxime à Pontifice indictio facta non sit, modo ipse indictionem, quantum vis ab alio factam, confirmet, id ipsum sufficere posse ad hoc ut à Papa Synodus ejusmodi coacta judicetur.

23. Horum utrumq; cum in Magistratum politicum æquè bene, vel etiam melius, quam in ipsum Romanum Episcopum quadret, quis non videt

vel ab ipsis adversariis etiam invitis, politico magistratui clarissime
id ipsum adscribi, & quidem iisdem in verbis, quibus istud eidem dero-
gatum voluerant.

24. Sic ergo Iesuitæ verba simpliciter invertemus di-
centes: Verè Catholici munus convocandi concilia ad
Imperatorem sive Magistratum Politicum propriè per-
tinere volunt, sic tamen. 1. ut possit etiam alius Impera-
tore consentiente concilium indicere, 2. quin etiam satis
sit ad hoc ut Imperator concilium indixisse statuatur, si
indictionem, licet ab alio factam, ipse postea ratam ha-
beat & confirmet, &c.

25. Hæc igitur quemadmodum praxis primitivæ Ecclesiæ luculen-
ter ostendit, & comprobant prima illa quatuor œcumenica concilia, ita
de singulis propter adversarij replicas ita induci potest. Nam PRIMO
Nicaenum non nisi consentiente Constantino indictum fuit, DEIN-
DE non nisi Constantino ipso vel convocante, vel saltem indi-
ctionem, si ab alio facta fuisset, ratam habente, convenire
potuit, quod tamen posterius sufficere Iesuita pronunciavit.

26. Similiter de Constantinopolitano liquet, si enim Theodosius se-
nior litteras quibus concilium illud indicebatur, ad Episcopos misit, ut
Iesuita contendit, profectò non nisi Theodosio tum consentiente
tum indictionem illam ratam habente, congregata fuit Con-
stantinopolitana Synodus.

27. Idem est iudicium de Ephesino, quod tertium fuit. Id enim nutu
Theodosij iunioris convenisse vel inde liquet, si quidem illud Imperatore
vel non consentiente vel indictionem ejus ratam non ha-
bente, etiam ipsius adversarij testimonio, indictum minimè fuit.

28. Deniq; de Chalcedonensi similiter se res habet. Nam primum sa-
tetur Robertus non sine ope pij Imperatoris Martiani id collectum, 2. lib. 1. de con-
cum Gelasius, citante Roberto, scribat, SOLAM Apostolicam sedem,
ut Synodus Chalcedonensis fieret, sua auctoritate decrevisse subijcit po-
stea, per illam voculam [SOLA] non Imperatorem, sed alias sedes E-
piscopales excludi, quod utrumq; si ipsi condonemus, quis non perspici-
etis hanc quoq; Synodum non nisi Martiano tum consentiente
tum

tum indictionem ejusdem ratam habente indictam fuisse?

29. Unde apparet, non tam a Pontifice Romano, quam ab Imperatoribus indicta fuisse prima illa probatissimaq; concilia, si maxime admittamus illam hypothesein, ex qua id Privilegium proprie ad Romanam Pontificem restringere Iesuita molitus fuit.

30. Quanquam autem ab initio, antequam ad fidei Christianae societatem Monarcha accessissent, concilia collecta fuerint, invitatione & precibus eorum, quorum praecipua in Ecclesia fuit autoritas; tamen posteaquam nutricios ex Regio vel Imperatorio ordine Ecclesiae suae Deus indulgit, potestas ad hos devoluta est cum autoritate constituendi id, quod antea precarium quodammodo atq; arbitrarium fuerat.

ΕΥΧΑΚΕΥΗ.

Bell. c. 15.

31. Porro quod omnes Praelati majores, id est, Episcopi, iidemq; SOLI in concilijs generalibus & provincialibus habeant jus suffragij decisivi ordinariè, &c. id vicissim usdem argumentis, quibus ab adversario astruitur, commodissime destruetur. Prius sententiae suae robur petunt e Scriptura, posterius ex ratione, utrumq; in adversarios hoc modo retorquebimus.

32. Locus quem citant, extat Ier. 3. v. 15. Dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Item Eph. 3, v. 11. alios autem Pastores & Doctores constituit.

33. Hic libenter fatebimur cum Hieronymo in hunc locum, & cum Augustino epistola 59. ad Paulinum conjunctum esse nomen PASTORIS cum nomine DOCTORIS quod DOCERE proprium sit pastorum: addit postea Iesuita PASCERE idem esse quod definire in consilijs ea, quae sunt credenda vel agenda, & docere quidem ita, ut teneantur ceteri credere [si credere fas est]

34. Esto igitur proprium munus pastorum docere; & quidem ordinariè; subsumemus interim, non solos Episcopos Pastores esse, quales intelligit Propheta cum Apostolo, verum etiam alios Ecclesiae ministros; quin imò Pontificiorum Episcopi nihil minus sunt plerunq; quam id quod dicuntur, nisi forte aequivoce; Eo ipso enim, quod non docent Romanenses Episcopi, re ipsa se Pastores non esse, facto ipso satis superq; demonstrant.

35. Iam

35. Iam si supra dictam Iesuitæ interpretationem ipsi condonemus ex hypothese, cum non soli Episcopi Pastores sint, imò nihil minus quam Pastores qui doceant, consequens erit, nec solis Episcopis ordinariè munus decidendi in Concilijs competere, quin potius ex data suppositione nullo modo iisdemet convenire.

36. Alterum sententiæ nostræ fundamentum tali ratione nititur: *c. 15. d. l. s. ult.* negocia Ecclesiastica, fatente Iesuita, à personis Ecclesiasticis & publicis tractanda sunt. Tales autem subiicit. SOLOS Episcopos esse: At contra dicemus neutquam SOLOS Episcopos Ecclesiasticas, & publicas personas esse. Quid enim magis alienum à verò? Ergone verbi gratia Petrus Stevarcius Leodius, Parochus Ingolstadiensis, ceteriq; Pontificijs à concionibus, ad unum omnes nec Ecclesiasticæ, nec publicæ personæ sunt? quid absurdius, quid insulsius, quid puerilius?

37. Id ipsum interea, an satis conveniat cum eo, quod paulò antè, eodem in capite & alibi satis indefinitè Robertus pronanciárat, cum diceret, concilia non Laicorum sed Sacerdotum esse, ipse viderit; utri certè potius Sacerdotes sint secundum Pontificios appellandi, num Episcopi videlicet, an potius Sacrificuli, dubitet qui poterit: hyperaspisten certè Conciliorum papalium si non veracem, attamen memorem magis esse oportebat. *lib. 1. c. 15. & lib. 2. c. 8. de Concil.*

38. Cæterum de Conciliorum tam materia quam forma, h. e. tam de personis ex quibus concilia præcipuè constare debeant, quam de modo in illis procedendi, abundè nos commouefacit primæ Synodi Apostolicæ exemplar, Act. 15.

39. Siquidem non soli Apostoli adfuisse dicuntur, sed & Seniores siue Presbyteri, imò non adfuisse tantummodo; sed & suffragium, ut loquuntur, decisivum contulisse. Perinde enim quemadmodum Paulus & Barnabas ab Ecclesia. x. ab Apostolis, & Presbyteris excepti dicuntur vers. 4. Sic illi ipsi à quibus excepti fuerant, [tam Presbyteri videlicet, quam Apostoli] convenisse dicuntur, ut de præsentis illic negotio dispicerent.

40. Deinde SECUNDO non solis Apostolis, sed Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia placuisse dicitur delectos ex se se viros Antiochiam mittere v. 22. Postremo deniq; sententiam decisivam ad Antiochenos literis perscriptam ita formant: APOSTOLI & PRESBYTERI & FRATRES vs qui sunt Antiochiæ.

B

41 Huic

Bell. lib. 1.
cap. 18.

41. Haec ergo Concilij formulae quam similes aut dissimiles sint Romanensium Synodi, ex collatione mutua non obscure patecet.

42. Ut ergo hanc *ὁμοκαυῶν* concludamus, hoc extremum addimus: si non esset suffragiorum numero, sed sacrorum testimoniorum pondere rationumq; ex illis petitarum momentis, agendum; perperam fieret, etiam ipsius Iesuitae iudicio, si soli Episcopi sententiam dicerent in Concilijs: Atqui antecedens tam verum, quam quod verissimum, proinde consuetudine immerito dubitatur.

43. E converso, si ius ferendi sententias in Concilijs solis, solis, inquam, Episcopis ipso iure permitteretur, iure etiam numeranda tantum non autem ponderanda essent suffragia. Atqui hoc posterius non nisi summa cum ipsius veritatis injuria fieret, quae plures saepenumero adversarios quam astipulatores experiri solet.

44. Porro quod ejusdem sit Synodos convocare, & in iisdem praesidere, ipsis etiam testantibus Pontificijs constat. Cum itaq; prius illud Imperatori supremoq; magistratui iure tribuatur, nemo non videt, eidem nec posterius illud alterum derogandum fuisse; & quo iure prius, eodem & posterius Pontificem sibi arrogare, h. e. nullo.

Euseb. lib. 3.
de vita Con.

45. Memoria interim & imitatione dignissimum est Constantini Magni exemplum, qui privatis & intempestivis contentionibus sepositis, dogma controversum ex solo Dei verbo examinari voluit; similiter namq; & magistratus politicus in negotio religionis controversias non ex mero arbitrij sui dictamine dijudicabit.

46. Sed potius ita totam actionem moderabitur, ut controversijs legitime cognitis sententias roget, rogatas ad scripturae normam exigat, omnibusq; modis prospiciat, nequid vel ambitiose vel turbulente fiat.

47. Nunc itaq; ut ad Conciliorum auctoritatem veniamus, quae secunda propositiois pars fuit: Quae sunt Pontificij sintne certa & infallibilia Conciliorum iudicia. Hanc Conciliorum auctoritatem rursus dupliciter considerant, absolute videlicet & in se, deinae in comparatione cum alijs, quae vocant principis fidei, h. e. cum scriptura Pontificijsq; decretis.

48. Quando vero de infallibili Conciliorum iudicio quaeritur, quaestio duplicem habere sensum potest, alterum an concilia errent, vel erraverint unquam; alterum an si maxime nunquam errarint, errare saltim potuerint; Nec enim absurdum si dicamus Concilia quaedam licet revera non errarint, errare tamen, id quod humanum est, potuisse.

49. Hic Pontificij non solum actum sed & potentiam negant: Tametsi.

meti vero non sequatur, si errare potuerunt Concilia, factio etiam ipso
errasse; nihilominus ab actu ad potentiam, si videlicet revera aberrarunt,
errare necessario potuisse concluditur, tam certo nimirum, quam certo
actus potentiam vel actus secundus, actum primum presupponit.

50. Ceterum fatentur satis ingenuè Pontificij Concilia non solum
particularia, sed & universalia, quantumvis legitima, ante confirma- Bell. lib. 2.
tionem Pontificis errare posse etiamsi interveniat legatorum ipsius Pon. c. 10. & 11.
tificis consensus. Proinde de isthac adversarijs litem movere non possumus.

τὸ ἑκτάμενον.

51. Sicubi vero summi Pontificis sententia accesserit, ibi demum ^{ἐκτὸς}
absq; ulla hesitatione decernunt concilia tam generalia quam speci- Bell. lib. 2.
alia, à summo Pontifice confirmata, nec in fide, nec in moribus cap. 2. & 5.
errare posse, cujus axiomatis contradictoriam sequentibus adstrue-
mus.

LOCVS I.

Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum Matth. 18.
in medio eorum. v. 20.

52. Hæc propositio non modo universalis, est verum etiam recipro-
ca; quorum enim in medio Christus habitat secundum presentiam gratiæ
sue, illos etiam in Christi nomine congregatos esse nullum est dubium.

Atqui Patres Conciliorum Pontificiorum non in Christi nomine con-
gregantur, sed potius in nomine Antichristi ac proinde Spir. S. aut
Christi presentiam vel gratiæ divinæ, ut ipsi loquuntur, assistentiam
sperare, quatenus tales, minime possunt, Et per consequens, ab er-
roris periculo in fide aut moribus neutiquam eximi.

53. Major propositio de se indubia. Assumptum probare esset actum
agere; Papam enim ipsissimum esse Antichristum proxima disputatione
transactum fuit. Nisi illud fortassis probandum sit Romanensium Con-
ciliorum Patres in nomine Papæ congregari, siquidem legatos & consi-
liarios suos, ad Concilium profecturos solenni juramento sibi obstringit
Pontifex, cujus verba inter reliqua sic habent: Ego N. N. ab hac hora
ut antea fidelis ero & obediens B. Petro, Sanctæq; Romanæ Apostolicæ
Ecclesiæ; jura, honores, privilegia, regalia, & auctoritatem Romanæ
Ecclesiæ, DOMINI NOSTRI PAPAE, & successorum prædictorum
conservare, defendere, augere, & promovere curabo, nec ero in Conci-
lio, in factio, seu in tractatu, in quibus contra DOMINUM NOSTRUM,
vel Romanam Ecclesiam aliqua sinistra sive præjudicialia, personarum
juris, honoris, status & potestatis eorum, machinemur, &c.

LOCVS II.

LOCVS II.

Speculatores ejus cæci omnes, neq; quicquam nov-
es. 56: v. 10. runt, omnes canes muti, nec valent latrare, jacentes
 dormiunt, & amant dormitionem, & Pastores ipsi nihil
 sciunt nec intelligunt.

Conjuratio Prophetarum in medio ejus ad devorand-
Ezech. 22. dum animas, sicut leo rugiens & qui rapit prædam, &c.
v. 25. & 26. Sacerdotes ejus violârunt legem meam & profanave-
 runt sancta mea.

54. *Ex his dictis quædam breviter consideranda veniunt. Ecclesi-*
am illam Iudaicam, quæ fuit Esaiæ temporibus D E U S ipse vocaverat,
utramq; Politiam idem instituerat, eandemq; nondum prorsus verbo &
Sacramentis orbaverat; vigeat adhuc illa Sacrificiorum solennitas,
nec dum templum illud cultusq; destructus erat, & tamen speculatores
illius populi dicuntur omnes cæci, nihil quicquam nosse.

55. *Et ne putemus singulos tantum seorsum, non autem conjunctim*
universos hoc pacto aberrare posse, de conjurato, & quasi in unum col-
lecto Prophetarum conciliabulo nihil sanius ab Ezechiele prædicatur.

56. *Quod si illi tam in fide quam in moribus errare poterant, non*
tantum singuli sed & in unum collecti & conjurati, qui tamen per Pro-
phetas immediatè à Deo missos indies admonebantur & objurgabantur
acerrimè, quiq; adeo non ordinaria tantum sed & extraordinaria sin-
ceræ religionis adminicula habebant, quantò magis nostri Papicolæ,
quantumvis in concilijs collecti errare poterunt, qui nec ordinaria me-
dia, nisi corruptissima, retinent, extra ordinaria vero nulla omnino o-
stendere possunt.

57. *Verum nebulas dictis paulo ante citatis offundit Iesuita quas*
prius oportet discutere; Frequentissimum ait esse in sacris literis, ut
propter aliquos malos, reprehendantur omnes, non enim, exempli cau-
sa, Phil. 2. omnes quærebant quæ sua sunt, & tamen (inquit) suo quodâ
modo, id est, per figuram intellectiois omnes quæ sua sunt quæsiuisse,
ab Apostolo pronunciantur. Non itaq; testimonia hoc sibi volent, omnes
V. T. Sacerdotes & Prophetas mendaces fuisse, sed aliquos tantum.
Sic ille.

58. *Atqui hoc nihilominus verum est, imò verissimum, si quando*
ita generaliter in omnes Prophetæ invehuntur, non de ALIQUIBVS
tantum.

tantum, sed vel ad unum usq; de omnib. plerumq; id intelligendum esse, vel si non de omnibus precise, saltem de plerisq;, præ quorum numero saniores, si qui sunt, ita pauci sunt ut præ illis plurimis etiam ex vulgaris parcemiæ sensu pro nullis habeantur. Proinde illis etiam dictis sua constabit universalitas.

59. Neq; vicissim ut hic excipit Iesuita ea tantum in illos dicuntur, qui separatim populum decipiebant, verum etiam in conjurationem, h. e. in eos qui conjunctis virib. coactisq; conciliabulis idipsum machinabantur.

60. Satis etiam ad rem facere propositum exemplar ostendit comparatio, quæ in argumentatione paulò ante præmissa continetur, neq; id vel [a] promissioni Petro factæ, vel [b] enunciato Apostoli ulla ex parte refragatur, quemadmodum ridiculè contendit Iesuita [lib. 1. c. 6.]

a Matth. 16.

v. 18. Luc.

61. Quia vero tò Catholicum perpetuò in ore habent, age si generale concilium, ex omnib. illorum temporum tam Sacerdotibus quam Prophetis coaluisset, ecquid aliud futurum fuisse putamus, præterquam illud quod tempore illius Concilij, ex 400. Prophetis, ab Achabo convocati, contigisse legimus? annon perinde sicut illi regi suo, ita nostri conventuales Episcopi suo DOMINO Papæ adulantur? nonne peræque omnium suffragiis ab iisdem veritas exploatur? Michæ autem, h. e. fideles ministri pro hæreticis damnantur, percutiuntur, conijciuntur in carcerem, imò etiam comburuntur? & quid non?

v. 18. Luc.

22. v. 32.

b 1. Tim. 3.

v. 15.

62. Et quoniam excipere solent hoc loco id concilium, non fuisse à summo aliquo Pontifice coactum; Ecce tibi Iudeorum concilium præside summo Pontifice Caïpha, in quo minus aliquid desiderari potest eorum, quæ ad externam speciem faciunt, nam & summum totius Sacerdotalis ordinis *ἡγεμόν* Hierosolymis erat, perinde sicuti de summo Cardinalium aut Episcoporum Collegio gloriantur Papicolæ, & verius quam hi clamare poterant templum Domini, templum Domini.

1. Reg. 22.

v. 5. & 22.

63. Quid quod Iudæi præsertim prioribus aliquot seculis Ecclesiam suam verius Catholicam dictitare poterant, quam fortasse nostri Catholici suam; Certum enim est, horum temporum Ecclesiam neutiquam ita inclusam esse Pontificiæ Ecclesiæ terminis, quemadmodum olim Iudææ sive Palesinæ limitibus vera religio circumscripta ad tempus, & quasi coërcita fuit.

64. Nihilominus Hierosolymis convenitur, adest supremus Pontifex, non per legatos, sed in propria, ut ita dicam, persona, asidet sacerdotum ordo universus, [ne hic obijcere possint concilia non

Bell. lib. 1.

cap. 15.

Id. lib. 2.

cap. 8.

tarum sed Sacerdotum esse debere). Sed quid sit damnatur tamen Chri-
stus, & hic & illic. Hic quidem immediate in se, illic h. e. in Concilijs
Romanensibus mediate, videlicet in membris suis.

ἀναστροφή.

Bell. lib. 2.
cap. 17.

65. Porro si summus Pontifex simpliciter & absolute est supra
Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in ter-
ris supra se agnoscat iudicium, si item infallibilitas omnis Conciliorum
à Pontifice pendet, frustra sanè tanto conatu, tanto hiatu, tanta con-
gregantur Concilia.

d. lib. c. 18.

66. Patet consequentia, quemadmodum enim post deliberationem
in Concilio factam ad nutum Papæ deciditur, quicquid deciditur [siqui-
dem summus Pontifex ne quidem potest ulli aut homini aut Concilio ju-
diciam supra se committere, ut inepti homines ineptè loquuntur.] Ita
etiam antequam in Concilio res agitur, ejusdem Papæ iudicio statim ab
initio univèrsim negotium committi poterat, & si diis placet, ex scri-
nio pectoris sanctitatis ipsius, sententia finalis expectari.

67. Quorsum enim attinet multos ultrò citròq; sermones conferre,
vota colligere, pro & contra prolixè disputando veritatem investigare,
si investigatam & probè erutam, ad versus insanam Papalis cerebri
vertiginem defendere, & obtinere integrum non est?

68. Nec enim locum habere potest suffugium eorum qui negant,
frustra ob id institui Concilia, ut enim majori cum auctoritate senti-
as decerni, ita in illis inquisitionem fundamentorum veritatis majorem
fieri, &c.

69. In tantum enim abest, quod ajunt, in hujusmodi conventibus
majorem semper fieri veritatis inquisitionem ut potius magis involva-
tur, atq; ut plurimum altercando amittatur veritas, id quod inter cæ-
tera nobilis illa & ad hereseos objectionem usq; despumans tempore
durantis adhuc Concilij Tridentini, concertatio, inter Dominicum à So-
to Imperatoris confessorium & Ambrosium Catharinum Archiepisco-
pum Minorisensem, abundè declarat. His enim de quinque propemodum
gravissimis fidei articulis lis intercedebat acerrima, à Patribus Triden-
tinis (ad quos per scripta fuit) minime composita.

70. Et quid multa? ubi rerum adsunt testimonia, quid verbis ulte-
rius opus est? nonne singula quaedam Concilia singulos, quaedam plures
simul errores, quantumvis à summis Pontificibus confirmata, posteri-
tati commendarunt? nonne plura simul heresium portenta quandoq; in
illis

illis stabilita sunt, quorum veluti epitomē quaedam in Tridentinis cano-
nibus expressa continetur?

71. Ceterum an Concilia Papistarum sint supra Pontificem, nes-
ne, nihil moramur; nobis tantisper eodem in precio erunt, tum Papa,
tum Papistarum Concilia, donec inter ipsos, & de hoc & de alijs prope-
modum infinitis quaestionum labyrinthis convenerit; legitimo certē Cō-
cilio neutiquam ipsum vel exaequari, vel comparari posse, ex superiori-
bus utcunq; manifestum est.

72. Sic vero Concilijs debitum honorem habuerimus, si nec plus nec
minus iusto eis dem tribuerimus, ad quod tum demum à nobis fiet, si quo-
ties Synodi alicujus decretum profertur accurate perpendamus, quo
tempore, qua de causa, quo consilio, à quibus item habita, quinam con-
vocarint, qualesnam interfuerint, &c.

73. Nec personarum solummodo, sed & rerum circumstantiæ pen-
siculanda, quo nimirum illud quod actum & conclusum fuit, ad Canoni-
carum scripturarum lancem appendatur, ita ergo Synodorum authori-
tatem supra modum non extulerimus.

74. Nihilominus justum interim pondus legitimi Concilij determi-
natio obtinere potest, cum ipsi tanquam rei jam iudicatae absq; gravis-
sima causa refragari aut obsistere velle duplex sit temeritas. Quemad-
modum enim totius Senatus vel imperij sanctio merito pluris fit, quam
unius alicujus e Procerum numero dictamen; ita certē publica Ecclesiae
in legitimo Concilio legitime congregatae conclusio (ceteris paribus) ma-
joris erit momenti, quam privatum ullius Theologi, quantumlibet exi-
mij, suffragium.

75. Et hac ratione sua vis ac dignitas Concilijs neutiquam deroga-
tur, quo minus ipsis sua sit, quae debet esse, majestas; & tamen supe-
riori loco scriptura eminebit, ne quippiam sit, quod non illius censurae
per omnia subijciatur, juxta illud; omnia probate, quod bonum est, re-
tinet.

COROLLARIA.

1. Obiter autem quaeramus, an ex Actis Apostolorum probari pos-
sit Petrum in Apostolico Concilio praesidem egisse, quia nimirum Petrus
primus surgit, primus loquitur, primus quaestionem definit, denique
quia ceteri ipsius sententiam sequuntur, quemadmodum ariolatur le-
juita.

cap. 15.

lib. 1. c. 19.

2. An

2. An non sit in Ecclesia major Cathedra, per quã Deus nos doceat, quam summi Pontificis Cathedra, adjuncto consensu generalis concilij, adeo ut si hæc etiam Cathedra falli posset, quando universam, ut ajunt, Ecclesiam docet, an adhuc nihilominus vera esset illa promissio, Iohan. Bell. lib. 2. c. 2. 16. v. 13. Idem enim ignorare se fatetur Robertus.
3. An ex Lutheranorum sententia decretum concilij tantumdem valeat, quantum ejus ratio, & nihil amplius? Bell. lib. 1. cap. 18.
4. An si concilia generalia errare possent nullum propterea firmum in Ecclesia judicium superesset, quo controversiæ componi, & unitas in Ecclesia servari posset? Bell. lib. 2. cap. 4.
5. An omnes damnatæ hæreses in dubium revocari merito possent, si non essent infallibilia conciliorum judicicia? Idem ibid.
6. An si omnia concilia errare possent consequens statim foret, omnia concilia errorem intollerabilem admisisse, ac proinde nullo honore digna esse, cum videatur intollerabilis error futurus, proponere aliquid credendum tanquam articulum fidei, de quo non constet an verum sit, nec ne? Idem ibid.
7. An Ecclesia, si non habet caput in his terris jam visibile, monstrum instar futura sit? (sicut adversarij monstruosè comminiscuntur) an verò monstruosius sit Ecclesiam pariter & visibile & invisibile caput habere, h. e. bicipitem esse? Id. lib. 2. cap. 15. de Concilio
8. An non merito Gregorius Nazianzenus dicere potuerit, nullius unquam concilij se vidisse bonum exitum. Epist. 55. ad Procopium.
9. An nullum unquam vetus recensve concilium hæresim aliquam anathemate ferijt, ut non homines ipsi quoque qui eam sequebantur ac tuebantur, damnati intelligerentur? Anti Osiand. cap. 12.
10. An in religionis controversiis sententia usq; ad Synodi alicujus determinationem suspendenda sit, ita ut errorum fundamentum fidei evertentium tum demum legitima sit condemnatio, postquam prius in Synodo de illis judicatum fuerit? Id. ib. p. 49.
- Augustinus lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. ult. Istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia & diligentia Pastoralis post factum illis competens sufficiensq; judicium, ubicunq; isti lupi apparuerint conterendi sint, sive ut sanentur atq; mutantur, sive ut ab aliorum salute atq; integritate vitentur.

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquijs et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitijs Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatiōes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significantur
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad locū dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuiā rāone sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista gentilitz sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōne idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄e GESNERI.


Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dicitur Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



manu qui erant in
cuius manu...
in regno regni...
ad dicitur...
sicut omni erant
et dicitur...
ad dicitur...
nabuchodonosor
et dicitur...
vobis...
et dicitur...
audientium...
et dicitur...
dicitur et dicitur
vobis et dicitur
sicut dicitur...
dicitur dicitur
nabuchodonosor
quis autem non...
dicitur...
dicitur...
dicitur...





Sup. Des.

DE CONCILIIIS
THESES,
Moderatore
REVERENDO CLARISSIMOQUE
VIRO DN. IOHANNE GORGIO VOLCKMARO,
S.S. Theol. Doctore & Professore in Aca-
demia Witebergensi Publico
CONTRA PONTIFICIOS
Ad disputationem XVIII. in Collegio Studiosorum
Theologiae privato, die XXVIII Februarij
habendam, propositae
à
IOHANNE RODENBVR-
GIO ANTUVERPIANO
Respondente,
MATTHÆO SATLERO
Heubacense VVirtembergico.
VVITEBERGAE, Liteis VVolfgangi Meisneri.
ANNO cl. l. IVC.

